

Domine, nam et catelli edunt, etc., ideo Christus illam mulierem et consequenter hominem appellavit: « O mulier; tu te cognovisti canem, ego te « jam agnosco hominem; » id ipsum magnæ fidei suæ meritum fuit; utpote sine qua bestii similes sumus, *Psal. XLVIII, 13: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Fides autem in filios Dei nos adoptat: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus. Joan., 1, 12.*

6. — Dionysius Carthusianus fidem hujusce mulieris, omnium aliarum virtutum thesauris locupletatam fuisse dicit: « Bonis operibus virtutibusque « adornata. » Salmeron illum S. Marci, VII, 29, textum: *Propter hunc sermonem vade, exiit demonium a filia tua, considerans dicit: « Id est, per « fidem et prudentiam et humilitatem. Laudat autem, ut imitemur virtutes ejus; apparet prudentia in responsis, pietas in querendo Deum et « non maleficos; perseverantia in repulsis, humilitas in prostratione et confessione; fides, quæ ceteræ virtutes ornantur. »*

7. — Fides quoque ejus magna dici potest, siquidem omnes Apostoli ipsa posteriores remanserunt, utpote qui suam intercessionem interponentes, minime fuere exauditi. Unde Chrysostomus, *Hom. LIII in Matth.,* cujus hæc est ponderatio, ait: « Tu vero « diligenter considera, cum nihil ab Apostolis in re « mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum; tantum quippe potest jugis et fervens « oratio. De hac quoque ferventi oratione Chrysostomus ita scribit: « Non cessat fideliter, humiliter, prudenter, ac patientissime postulare. »

Fiat tibi, sicut vis.

8. — Optime et perspicue videtur, quam sit verum illud Psalmistæ, *Ps. cxv, 19: Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet.* Ac si diceret, inquit Chrysostomus: « Fides quidem « tua majora quam petis posset impetrare; verum « rumtamen fiat ut vis. Hæc vox illi affinis est, quæ « dictum est: *factum est cælum, et factum est cælum.* » Albertus Magnus Christum, nullum miraculo aut gra-

tia postulata finem præstitisse, ponderat: « Non potuit metam, quæ in fide terminum non habuit. » Idem Chrysostomus alibi, *Hom. XVII ex variis in Matth.,* ita scribit: « Non dixit, sanetur filia tua, sed « fiat, sicut vis; tu, inquit, eam cura, esto medicus, « voluntas tua curet eam. » Unde hæc mulier cum sancto David, *Psal. xciii, 9,* dicere potuit: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animum meum.*

9. — Observandum est, quod Christus hoc, quod est pellicere demonem et peccatum ab anima, ad hos ipsos remittat, siquidem sufficit ad hoc ex parte nostra, resoluta quadam voluntas; opus enim tantum est, ut nos velimus et veræ contritionis actus excitemus; siquidem voluntas nostra divinæ gratiæ, quæ nobis non deerit, conjuncta, totum infernum prosternet, demonemque in fugam adigit.

10. — Dionysius Carthusianus ait: « Quo Christus « tus videbatur huic mulieri asperior foris, et in « verbis, et in gestibus, eo fuit et benignior intus, « per operationem occultam, per inspirationem et « illustrationem internam; » id quod ex hoc argumento convincit; quia, cum hæc mulier gentilis et consequenter idolorum cultui assuefacta, omnique Dei nolitia desolata fuerit: « Quomodo tantam « fidem, humilitatem, patientiam atque prudentiam habuisset? »

11. — Jansenius inde hanc elicit moralem doctrinam, nimirum nobis non esse despondendum animo, dum videmus, quod in necessitatibus non subito exaudiamur: « Docemur in Christo, cum « quanto nostro profectu et utilitate, differat orationes nostras exaudire, nimirum ut magis in « nobis accendatur desiderii et devotionis fervor, « atque eo magis inflammemur ad precandum. »

Et sanata est filia ejus ex illa hora.

12. — Glossa ex hac historia colligit, curandum nobis esse, ut catechizentur et baptizentur infantes: « Qui nec sapere, nec facere aliquid possunt, sed « per fidem et confessionem parentum, liberantur « a diabolo. »

FERIA SEXTA POST PRIMAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. V, VERS. I

1. Erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam.
2. Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.
3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.
4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua, et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate.
5. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua.
6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei:
7. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.
8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula.
9. Et statim sanus factus est homo iste, et sustulit grabatum suum, et ambulavit, erat autem sabbatum in die illo.
10. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.
11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum et ambula.
12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est iste homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum et ambula?
13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset: Jesus autem declinavit a turba, constituta in loco.
14. Postea invenit eum Jesus in templo et dixit ei: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

VERSUS 2.

Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.

Probatica piscina.

1. — In hac piscina, victimæ in templo offerendæ abluebantur: « Eo quod oves illic ad sacrificium congregabantur, » inquit Theophylactus, « et « intestina earum abluebantur. » Albertus Magnus id verum esse dicit, de omnibus aliis carnibus offerendis et de Sacerdotibus, qui pariter ibi sese lavare consueverunt: « Ab ablutione Sacerdotum et hostiarum. » Notandum est autem, quod liberalissimus remunerator Deus, hisce aquis, divino suo cultui inservientibus, infirmos sanandi virtutem infuderit; ut per hoc nobis indicaret, quod per easdem res, quibus ipsi obsequium et servitium exhibemus,

Deus quoque nobis, eodem tempore simul beneficiere soleat.

2. — Glossa per hanc piscinam, populum intelligit Judaicum, qui instar aquæ nunc quietus erat, mox a tentationum ventis agitabatur, unde Deo dicebat, *Psal. LXXVIII, 15: Nos populus tuus et oves pascuæ tuæ;* idem quoque S. Bonaventuræ sensus fuit, dicentis: « Quinque porticus significabant « quinque libros Moysis, quibus illi claudiebantur, » illi enim predebant languidos, non sanabam.

3. — S. Thomas piscinam hanc, baptismi figuram esse dicit: « Quia sicut aqua illa per hoc, quod « lavabat corpora, habebat virtutem, ex Angelo, « sanandi infirmitates, non ex propria natura; ita « aqua baptismi habet virtutem sanandi et abluendi « animam a peccatis. »

4. — Est etiam figura penitentiae, ut scribit S. Bonaventura et S. Thomas de Villanova: « Hæc « illa piscina salubris, in qua quicumque ægrotus

« quacumque infirmitate lotus fuerit, procul dubio curabitur et sanabitur, piscina scilicet lacrymarum et penitentiae. » Dionysius Carthusianus similiter dicit, quod significet: « Sacramentum confessionis, in qua omnia lavantur; vel quotidianum « baptismum lacrymarum sanctorum. »

5. — S. Antonius de Padua ait: « Alio modo, « piscina est passio Christi; porticus quinque vulnera ejus. Alio modo, fons divinae pietatis piscina est, quae omnino ad susceptionem gratiae inclinatur. »

Quinque porticus habens.

6. — Piscina isthaec multos habebat porticus, in quibus multi morabantur pauperes infirmi. Quoad mysterium vero hujus numeri, S. Thomas per illos porticus, quinque vulnera intelligit Redemptoris, adducitque Chrysostomi testimonium dicens: « Per « hos quinque porticus mystice, secundum Chrysostomum, quinque vulnera corporis Christi intelliguntur. »

7. — S. Bonaventura, paulo ante allatae expositioni inhaerens, nimirum, quod per hanc aquam penitentia intelligatur et planetus peccatorum consequenter per quinque hosce porticus, quinque intelligit considerationes, quae peccatorem in hoc salutare lavacrum introducunt: « Prima est, consideratio excellentiae status gratiae a qua recedit. » Apoclyps., ii, 3: *Memor esto, unde exideris et age penitentiam.* Secunda, meditatio villitatis culpae, quam commisit Jerem., ii, 36: *Vide, quam vilis facta es.* Tertia, divinae majestatis, quam offendit. « Quarta, poenae aeternae, quam meruit. Quinta, « divinae misericordiae, quae peccata remittit. Ex « prima consideratione oritur dolor; ex secunda « pudor; ex tertia timor; ex quarta horror; ex « quinta amor. »

8. — S. Thomas de Villanova, pariter in quinque hisce porticibus, non minus ingeniose, quam fructuose discurrit, per eosdem quinque corporis nostri intelligens sensus; dicit enim: « Isti sunt quinque « sensus corporales, in quibus egrotat omnis multitudo peccatorum, in quo porticus visus, jacet « magna multitudo superborum, cupidorum, curiosorum, mundanorum. In porticu gustus, gulosorum, ebriorum, delicatiorum. In porticu tactus, « multitudo voluptuosorum carnalium. In porticu « auditus, illorum, qui delectantur nugis, detractionibus et cantilenis; omnis fere aegrotus jacet in « his. »

Versus 3.

In his jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum.

In his jacebat multitudo magna languentium.

1. — Albertus Magnus inde originem suam

trahere dicit consuetudinem illam, qua hospitalia Ecclesiae vicina fabricari solent; siquidem in porticibus pauperibus infirmis hospitalandis et recipiendis fabricati erant. Salmeron pariter mutuum hanc templi et porticum istorum viciniam mysterio, quod nimiam carere hisce verbis asserit: « Mirabile est « Christi documentum, qui in templum prius ingressus est ad orationem et adorationem; deinde « in locum pauperum, ut exhiberet misericordiam « et suo nos exemplo ad similia provocaret, fidei et « charitatis opera. »

2. — Queri hoc loco non immerito potest, cur ex tanta languentium multitudine, unus dumtaxat saluem corporis receperit, cum alias Salvator noster in dispensandis gratis suis adeo liberalis, ne dicam prodigus semper fuerit. Lyranus dicit, « significatur, quod pauci salvantur de multitudine « vocatorum. » S. Augustinus ait: « Quid ergo « intelligendum est, nisi quia potestas illa et bonitas magis agebat, quid animae in factis ejus, pro « salute sempiterna intelligerent, quam quod pro « corporali salute corporis mererentur? In illis « enim factis quidquid temporaliter sanatum est, « in membris mortalibus in fine defecit, anima « quae credit, ad vitam aeternam transitum fecit. »

3. — S. Thomas in sententia ejusdem S. Augustini, quinque hosce porticus infirmis refertos considerans dicit, per hosce, in porticibus hisce degentes infirmos, denotatum fuisse, quod quinque libri Moysis, id est, lex vetus ad populum illam sanandum minime suffecerit: « Lex non poterat peccata « sanare, secundum illud, Hebr., x, 4: *Impossibile « est, per sanguinem hircorum aut taurorum, peccata « purgari;* sed ostendebat ea tantum, secundum « illud Rom., vii, 4: *Per legem enim cognitio peccati.* » Per hos vero languidos, figurantur peccatores, teste S. Bonaventura, qui dicit: « Per languentes signantur peccatores, qui sunt languentes « privatione virtutis. » S. Thomas inquit, hominem in tantum censi posse infirmum, in quantum est inordinatis sibi predominantibus passionibus subiectus, adducitque Tullii auctoritatem, dicens: « Unde et Tullio passiones animae, puta ira vel « concupiscentiae et hujusmodi, quaedam aegritudines animi dicuntur. Unde Psal. vi, 3, dicitur: « David: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus « sum.* »

Caecorum, claudorum, et aridorum.

4. — S. Bonaventura haec verba in sensu morali ita exponit: « Caeci, carentia vere cognitionis; « claudi, defectu virtuosae operationis, curandi sunt « gratia divina. » Nonnulli etiam per claudos, ambitiosos interpretantur, quorum proprium est, per adulationem et inverecundam affectionem sese inclinare, genua flectere. Per quos claudos similiter intelligi poterunt, qui in fide vacillant: »

Usquequo claudicatis in duas partes, aiebat Elias, III Reg., xviii, 21, sequacibus Baal. Per aridos, avaros exponere possumus, qui fugacibus hujus terrae bonis tenaciter nimis adhaerescunt. *Conglutinat usque in terra venter eorum, Psal. xliii, 25,* quique, ob nimiam cordis duritiam, omnis sunt compassionis expertes.

Expectantium aquae motum.

5. — In verbis sequentibus rationem reddit, cur motum aquae ab Angelo coelitus descendente concitatum expectarint; quia, qui post hunc aquae motum, primus eandem aquam ingrediebatur, sanabatur a quacumque detinebatur infirmitate. Ubi notandum, infirmos omnes, hanc aquam circumstetisse, summa cum vigilantia expectantes, semper erant prompti, semper preparati, ne adeo bonam convalescendi occasionem negligerent. « Quoniam, » inquit Dionysius Carthusianus, « hora « Angelicae descensionis erat incerta, ideo languidi « jacebant ibi continuo quasi semper parati et « optantes se invicem prevenire in ingressu piscine; » ad vero, quod si pro corporis sanitate consequenda, ad ingrediendum aquam illam prompti semper erant, ne adeo felicem sanitatis consequende opportunitatem admitterent, quanto igitur magis unusquisque nostrum, pro animae suae salute promptus esse debet, ad audiendum, ad respondendum et obtemperandum monitionibus et bonis inspirationibus Spiritus Sancti; nescimus enim, quando spiritus ille spiratus sit flamen suum in nos, siquidem spiritus, ubi vult et quando vult, spirat.

6. — S. Chrysostomus, Hom. xxxv in Joan., observat, quod tunc infirmitas corporalis multos retrahebat et impediabat, quo minus aquam ingredierentur: « Nunc unusquisque voluntatem habet « accedendi, non enim Angelus aquam movet, sed « Angelorum Dominus totum perficit; » nullus modo dicere potest, se hominem non habere, qui illum adjuvet, nullus excusare se potest, quod fuerit ab alio praeventus, dummodo recipere serio velimus salutem: « Licet universus mundus accedat, non « consumitur gratia, neque gratia deficit, sed « eadem semper permanet. »

7. — S. Thomas, in Joan., per hosce languidos, illos peccatores intelligit, qui ilibenter et invitati in peccatis suis persistunt; sed inde quantocius egredi desiderant: « Sunt aliqui sic affecti languore peccati, « qui non expectant aquae motum in peccatis suis « requiescentes. In magno viventes inscitiae bello, « tot et tanta mala pacem appellant, de quibus « dicitur, Prov., ii, 14: *Laxantur cum male fecerint « et exultant in rebus pessimis;* cujus ratio est, quia « non abhorrent peccata, nec peccant ex ignorantia, « seu infirmitate, sed ex certa materia; isti autem, « utpote non ex malitia peccantes, non quiescebant « in peccatis, sed per desiderium expectabant aquae

« motum. Unde dicit: « Expectantium. » Etenim bonum signum est, quando peccator, peccati sui in se sentit remorsum, illumque a conscientia sua pellere desiderat, eoque fine, divinae gratiae auxilium continuo implorat.

8. — Glossa Interlinearis per hanc motionem aquae, mortem Christi et consequenter nostram redemptionem intelligit: « Id est, mortem Christi, « et inde redemptionem. »

9. — Per hunc quoque motum intelligi potest interior in cordibus nostris motus Spiritus Sancti, utpote in pluribus sacra Scripturae locis, in hoc elemento symbolizatur, Joan., vii, 38: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vitae; hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum.*

Versus 4.

Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebat aqua, et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquae, sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate.

Angelus autem Domini descendebat.

1. — Lucas Brugenensis nonnullorum refert opinionem, existimantium hunc Angelum fuisse S. Raphaelem, qui Tobiam seniore curavit: « Eo « quod corporum morbis medelam afferret. »

2. — Theophylactus observat, aquam istam, non habuisse hanc sanandi virtutem naturaliter, sed ab Angelo ei collatam fuisse; si enim virtus illa huic aquae propria fuisset, prout in multis aquis mineralibus accidere videmus, aqua haec virtutem illam utique semper habitura fuisset: « Sed totum in « Angelo situm erat, quidquid erat efficaciae; ita « apud nos aqua baptismatis, aqua est simpliciter; « cum autem accesserit Spiritus Sancti gratia « propter invocationem Dei, multos morbos solvit « animarum. » Lyranus illud idem baptismi mysterium adducit, dum ait: « Appropinquante Evangelio « lii veritate, Dominus voluit figuram expressam « baptismi in hac piscina ostendere, quae conveniebat cum baptismum in mundando et sanando, « virtute Dei occulta, ad motionem Angeli, sicut « baptismus sub sensibili elemento mundat animam, virtute occulta verbi. » Christus, Isaia, ix, 6, secundum versionem Septuaginta, appellatur *magni consilii Angelus;* hic autem, ut Lyranus advertit: « Descendens in Jordanem, vim generativam dedit « aquis, tactu sacratissime carnis suae. »

3. — Chrysostomus, Hom. xxv in Joan., existimat, Deum miraculum istud ibidem in conspectu omnium Judaeorum fieri voluisse: « Ut intelligerent « Judaei, longe magis Angelorum Dominum, omnia « animae impedimenta sanare posse. »

4. — Albertus Magnus per hanc piscinam poenitentiam et peccatorum plenum intelligens, scribit, quod, ut aqua ista purificet et mundet, « oportet » ut ab Angelo, id est, a Domini spiritu moveatur, « sicut scriptum est: *Flabit spiritus ejus, et fluent aquae*; nam si timore solo inferni, aut dolore alicujus incommodi, aut infamiae quam incurristi, « aut alio respectu simili ploras, non habet aqua ista sanandi virtutem; sed quando amore Dei et spiritu Dei, et dolore offensus procedunt fontes et « rivi lachrymarum, omnem lepram peccati mundant. »

Secundum tempus.

5. — Quale hoc tempus fuerit, in quo Angelus descendebat, incertum est. « Itaque illud, *secundum tempus*, ita est accipiendum, » inquit Jansenius, « ut significetur, non semper quidem Angelum « moveisse aquam, sed certis quibusdam temporibus, quae tamen hominibus erant incognita, « idque non solum semel in anno, sed frequenter, « ut est verisimile. » Si enim infirmi certo tempore scripsissent, quo aqua movenda erat, non se ad ingressum aquae preparassent pro semper, sed tantum pro illa hora; adhibiturus quoque fuisset quilibet eorum omnem diligentiam ad habendum auxiliatorem, ut primus omnium, aquam ingredi posset; at vero Salvator noster per illam temporis incertitudinem insinuare nobis voluit, incessanter nobis de salute nostra spirituali cogitandum esse, nosque quavis hora, ad adventum Angeli magni consilii, promptos paratosque esse debere. Unde considerabilis est illa Gregorii Magni sententia: « De morte « incerti sumus, ut ad mortem semper parati « inveniamur. » Lucas Brugensis aliam rationem affert, cur tempus illud incertum fuerit; dicit enim: « Nec ullus illic fuisset pauperibus locus, « divitiis illo tempore locum illum vi occupantibus, neque permittentibus quemquam ante ipsos « descendere. » Incertum igitur hoc tempus Deus esse voluit, ut pauperes in acquirenda salute sua corporali, divitiis et potentibus praeferrere possent, illis siquidem se Deus semper specialius addictum esse ostendit, ideoque providit, « ut incognito « incertoque tempore, Angelus descenderet; alii « quando interdiu, aliquando noctu, aliquando « saepe uno anno, aliquando rarius, exclusis delicatam divitum intolerantiam incommodior habitatione, relictaeque esse pauperibus locus. » Dicit enim Evangelista: *Jacebat multitudo magna*; vel, ut est in Syriaca, *Plebs magna*. Etenim in Naaman Syro, leproso quidem, sed potente et a Rege plurimum aestimato, quanam sint divitum, etiam dum maximis et gravissimis sunt infirmitatibus detenti, praetensiones apparet; nimirum cuperent ut Angeli, vel Prophetae illos convenirent, seque coram illis reverenter inclinarent et obsequerentur.

6. — Ecce tibi igitur quam verum sit, quod, ubi de animarum salute agitur, nullam sit ponendam fundamentum spei, in certo tempore, quia quo Deus cor nostrum, per gratiam suam moturus sit, ignoramus, ac proinde quavis hora et quovis momento, prompti atque parati esse debemus; ut subito, dum cor nostrum sua gratia pulsatur et illustratur, in haec divinae misericordiae aquas nos conjicere valeamus. Salmeron voces *secundum tempus*, ita explicat: « Id est, modo, quia, *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*; sive secundum « tempus, quando Deo vel Angelo aures accommodamus. »

Et movebatur aqua.

7. — Idem Salmeron ait: « Cum libenter audimus verbum Dei et instrui in ira Dei de caelo, « quae imminet, de morte instanti, de gehenna « ignis, de gravitate peccatorum, » tunc movetur et turbatur anima; et ab hac sancta perturbatione procedit salus ejus et emendatio. Hugo Cardinalis, in *Joan.*, ait: « Angelus movet aquam, quando « gratia compellit exire lachrymas, et movet, et « excitat in homine devotionem. »

Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquae.

8. — Qui maxime ad ingrediendum in haec aquas sollicitus erat, liberabatur a quacumque detinebatur infirmitate.

9. — Sollicitudine non pigri, inquit Apostolus, *Rom.*, xii, 11. Vita enim nostra unice dumtaxat respiracioni innititur, adeoque anima de momento in momentum, et corpore nostro egredi potest, ideoque merito ille Dei servus dicere solebat: « Omni momento, ad ostium aeternitatis sto; » nulla intercedenda est temporis mora, ubi de anime salute agitur, praecipue *post motionem aquae*, id est, dum in nobis divina operatur, nosque ad illam excitat et invitat; per aquam enim gratia denotatur: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*. *Joan.*, iv, 14. Haec autem varios in nobis motus et affectus producit, nimirum amoris, timoris, spei, poenitentiae et similitum aliorum. Efficax ad hanc nobis sollicitudinem inculcandam ratio est, quia Deus nos vocat, dum videtur et placet sibi, non vero ad beneplacitum nostrum. *Quis autem consiliarius ejus fuit?* *Rom.*, xi, 34. Nec valet si dixerit, experientiam quotidianam testari, multos esse, qui licet tarde et morose emendentur, salvantur tamen, siquidem praeterquam quod hoc valde incertum sit, hoc nobis certo constat, quod in tam numerosa languentium multitudine, solum uno sanabatur, *Psal.* xvi, 14: *A paucis de terra, divide eos*. Chaldaeus legit: *A justis*. Bellarminus dicit: « Mortui mundo, « pauci sunt, multi quidem currunt, sed unus accipit « bravium. » Multi quidem ex hac multitudine et

forsitan omnes e lectis suis egrediebantur, ut aquas illas intrarent, sed quibus felicissima recuperatae salutis sors contingebat? *Qui prior descendisset, sanus febat*. S. Bonaventura, in *Joan.*, ait: « Unus « significabat unitatem sanctae Ecclesiae, praeter « quam nullus poterat sanari. »

Sanus febat, a quacumque detinebatur infirmitate.

10. — Dionysius Carthusianus quaerit cur Deus hanc adeo admirabilem virtutem haece aquis contulerit? et respondet: « Ad hoc alicui dicunt, quod « propter lignum Dominicae crucis, quod in ea « natasse et circa passionem denatasse affirmant, « adeoque credendum est, quod juxta horum opinionem, ex hoc in haece aquis natante ligno, crux postea fabricata fuerit: « Alii dicunt, quod ad praefigurandam virtutem baptismatis Christi, tunc « propianis. »

VERSUS 5.

Erat autem quidam homo ibi, triginta octo annos habens in infirmitate sua.

1. — Toletus in paupere hoc et desolato paralytico, Judaeorum considerat duritiam, qui illum triginta octo annis languentem deseruerunt, absque eo, quod illi balneo huic imponendo, manum praebissent auxiliatricem. Probatur etiam in eodem misero homine, extrema ejus mendicitas, utpote qui ne denarium quidem habebat, quem illi solveret qui illum, si non ex charitate, saltem propter lucrum mercedis, in aquas detulisset; verisimile etenim est, quod si vel danarium habuisset, illum minime postpositurus fuisset corporali suae saluti.

2. — Dionysius Carthusianus dicit: « Specialiter « hunc unum affatur et curat, qui miserabilior « fuit. » Salmeron ait: « In rebus desperatis solet « nobis Deus adesse, ut nos ad se magis alliciat, ut « doceat nos, erga eos, qui magis indigent et hominum auxilio destituuntur, esse beneficos et liberales. »

3. — Christus se verum medicum nostrum esse ostendit, *Matth.*, xii, 12: *Non est opus valentibus medicis, sed male habentibus*; medicorum autem proprium est, quod ad exhibendam praestantiam artis suae experientiam, infirmos studiose inquirent desperatissimos; quales et ipse Christus in hoc Evangelio quaesivisse videtur, et tandem hunc hominem invenit; « ut quasi et immedicabili, » inquit Jansenius, « et vetustissimo morbo tenebatur, et « humano subsidio destitutus erat; » voluit insuper demonstrare, eorum se vel maxime curam et sollicitudinem habere, qui ab hominum ope et solatio remotissimi et desolatissimi esse noscuntur. Idemque Jansenius aliud quoddam exinde elicit morale documentum, nimirum « nullum esse morbum « animi tam capitale, tamque inveteratum, quem « non tollere et possit et velit. »

4. — David, *Psal.* xxxv, 19, veridico calamo suo scribit: *Justo est Dominus his, qui tribulatio sunt corde*. *Et*, x, 14: *Tibi derelictus est pauper, orphanum tu eris adiutor*. Ac prouide Hugo Cardinalis notat, quod Evangelista ex industria infirmitatem, secundum suas circumstantias aggravatas, describit, nimirum quod per tot annos habitata fuerit, eamque patienter sustinuerit: « Haec omnia faciebant « eum approximare saluti, quae est per Christum. »

5. — Toletus in hoc languido, genus humanum post peccatum praefiguratum esse dicit: « Quod « diuturno peccati morbo laborans, neminem, qui « ad sanandum adjuvaret, suo pretio potuit comparrare, sed infirmus, inops et pauper tam diu « jacuit, donec sine pretio ullo dato, Filius Dei « homo factus venit, qui ipsum sanavit. »

6. — Hoc triginta octo annorum spatium valde vivacem in eo spem fuisse demonstrat. Arabicus, loco, homo, legit, vir. El S. Joannes, qui de aliis infirmis scripsit: *Multitudo languentium*, de hoc scribit, *erat autem, etc.*, quasi de eo dicere voluisset, non jacuit ibi omni spe destitutus, quia tametsi dixerit: *Hominem non habeo*, per hoc tamen dicere velle videtur, se caeleste sperare adiutorem, quod ei quoque tandem evenit. Unde Simon de Cassia ait: « Privatum se fatetur auxilio humano. » Hujus porro opinionis auctor D. Chrysostomus, *Hom.* xxv in *Joan.*, fuisse videtur, siquidem per hoc exemplum et viram hujus paralytici spem, multorum redarguit diffidentiam, qui quando non subito in suis necessitatibus exaudiuntur et sperata accipiunt a Deo auxilia, animum continuo abjiciunt: « Octo « et triginta annos hic expectaverat, expectabat « que, neque ejus impletum est desiderium, neque « negligentia non sanabatur, sed praeventus ab aliis « neque propterea desperavit; non autem, si per « decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus. » Ostenditque sanctus, quod longe prolixiori et fortiori spe et fiducia ac diligentia, mundo inserviamus, v. g. in bello, in aula et in cunctis aliis servitiis humanis, ut quibus ut plurimum a spe nostra turpiter cadimus, eaque frustramur: « Dominum autem nostrum, ubi sine dubio, « merces sequitur longe laborum amplior, spes « enim non confundit, debito studio et diligentia « prosequi non patimur. »

7. — Glossa Interlinearis per hunc miserabilem hominem, peccatorem, in multis habitualiter radicalis peccatis profunde demersum intelligit: *Significat multis et magnis peccatis oppressum*. Glossa hunc triginta octo annorum numerum, verbis sequentibus examinat, dum ait: « Id est, duobus minus quadraginta, qui numerus constat ex quatuor decem et « significat perfectionem operum in decem praecipulis legis et quatuor Evangelis, et a quo duo « minus habet, qui charitate Dei et proximi caret. » Lyranus hunc hominem adeo prolixo morbo ob

præcedens peccatum, punitum esse dicit: « Illam enim infirmitatem propter præcedens peccatum incurrerat, ut patebit infra, verumtamen quia « pomas patientes sustinuerat, ideo dignum erat, « ut ei subveniretur. »

8. — Chrysostomus, *Hom. xxxvii in Joan.*, ex hac, per tot annos continuata paralyti, quanta pena culpæ alicui debeatur, optime consequenter deducit. Ubiam sunt illi, inquit S. Doctor, qui peccatum ipsorum brevissimo tempore, imo unico tantum voluntatis actu commissum esse dicunt, ideoque dolent dicentes: « Oh commissum brevi tempore peccatum, perpernas penas daturus sum. Ecce hic, non tot annis peccavit, quot penas dedit; « brevi peccatum patrat, morbi tormenta diuturna « sunt, non enim tempora peccati, sed peccantium « animus indicatur. »

VERSUS 6.

Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei.

Hunc cum vidisset Jesus jacentem.

1. — S. Thomas, *in Joan.*, ait: « Non solum oculo corporis, sed etiam miserationis, qualiter « videri petebat David, dicens: *Respice in me et miserere mei.* » Ex quo factu colligitur, quam verum sit illud, quod tot sæculis antea in Isaia, *Lxvi*, 2, dictum fuit: *Quid Dominus: Ad quem etiam respiciam, nisi ad pauperum et contritum?* Magnas mundi hujus, pauperes contemnere et delignari solent.

2. — Enimvero verisimile quidem est, quod templum adeundo, multis aliis vicibus per hoc hospitale et infirmantium porticus transierit et tamen nunc solum oculos suos in miserabilem hunc hominem conjicit, quia in conferendis nobis beneficiis tempus expectat opportunum; nunc igitur post longam illam infirmitatem, illum dispositum esse cognovit, qui divinæ ejus gratiæ cooperaretur, non vero antea: *Dominus mortificat et vivificat*; nunc igitur oculos suos in eum defigit: *Hunc cum vidisset*; quos proinde oculos Rupertus Abbas « fenestras » appellat « salutis et potentes misericordiæ januas. »

Et cognovisset, quia jam multum tempus haberet.

3. — S. Bonaventura ait: *Omnium enim nuda sunt et aperta oculis ejus.*

VERSUS 7.

Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit.

Vis sanus fieri?

1. — S. Cyrillus ait: « Præcurrit misericordia

« ægrotum; » suis etenim gratis semper nos prævenit, nec unquam e nostris nos ruinis possemus erigere, nisi ad porrigendum nobis auxiliatricem manum suam, per suam erga nos compassionem moveretur. Unde idem S. Doctor ait: « Manifestum « argumentum summæ Christi bonitatis, quod « utique laborantium preces non expectet, sed « petitionem benignitatis sua præveniat. »

2. — Et vero prima facie interrogatio hæc inutilis et superflua videri non immerito poterat; quis enim est, qui inter dolores excessivos, ad mortem usque languens, sanitatem non desideret? Verumtamen nonnunquam claudi, aut membris muletati, vel alii similes mendici aliqui inveniuntur, qui sanitatem, vel corporis pristinam integritatem minime desiderant, quia elemosinarum questum favendo, optime sibi prospectum esse vident; qui tamen sanitati restituti, victum suum, cum minori lucro, in aratro et higne laborando et sudore lucrari deberent; at vero in presenti languido, res ita se minime habet, de hoc enim juxta Chrysostomi *Hom. xxxvi in Joan.*, opinionem dicere convenit, ipsum salutem suam ardentem desiderasse: « Non « se irrideri arbitratus est, neque dixit: *huc ego « industria venisti, ut sanis et conviciis me laeces « seres, qui interrogas, cum dolore excrucier, num « velim sanari.* »

3. — Nonnulli hoc loco considerant, quod, quia hic Paralyticus, qui triginta octo annis, ex illa infirmitate, lecto affixus decubebat, Christum presentem cognoscere minime poterat, utpote qui ipso primitus infirmante, natus nondum fuerat, ideo Christus illum non sine causa, de re tam grata et accepta, interrogavit, ut videlicet hac interrogatione excitatus, fixis in eum oculis respiceret, vultusque sui speciem, memoriæ suæ tanto fortius imprimeret, hæcque ratione ipsum deinceps obvium cognoscere posset; ita namque de S. Petro quoque legitur, quod claudo illi, quem ad portam, quam speciosa dicebatur, simul cum Joanne exererat, dixerit: *Respice in nos, et merito*; id namque fecit, tum ut miraculi testis esset, tum ut benefactorem suum agnosceret, gratum se erga illum exhibere posset. Toletus advertit, Christum non dixisse huic paralytico: *Vis ut te sanem?* sed *vis sanus fieri?* idque meritissimo jure, quia cum paralyticus hic nullam haberet personæ Christi notitiam, ipsumque Filium Dei esse ignoraret, se a Domino ironice seu subsannatorie interrogari credere potuisset: « Nec enim « dixit: *Vis ut te sanem?* quia nondum de Christo « tantam habebat ille opinionem et notitiam; » ideo se spheræ capacitatis ipsius adaptans, fidem, viribus ejus superiorem, ab illo minime requisivit. « Non « petit ab infirmo aliqui supra captum ejus; » hanc potius fidem in iis requirebat, qui predicationem apud audierant, viderantque crebra ejus miracula, illaque ab ipso deponcebant. Per hanc igitur inter-

rogationem efficere voluit, ut, postquam sanus esset, sese posset reflectere et intelligere, sanitatem hanc virtute et opera verbi sui divini, non vero aquarum illarum virtute, se fuisse assecutum, agnosceretque virtutem et omnipotentiam Christi, quavis etiam Angelica potestate longe esse superiorem.

4. — Voluit insuper Deus noster hisce verbis nobis insinuare, sibi salutem nostram majori cura et sollicitudine cordi esse, quam nobismetipsis, siquidem ipse est, qui illam nobis offert, sequere illius nobis danda, dummodo eam habere velimus, cupidissimum esse ostendit. Didacus Stella optime considerat, quod Christus non sine mysterio, interpestatæ noctis medio, nasci voluerit: « *Dum medium « silentium tenebant omnia et nox in suo cursu medium « iter haberet, omnipotens sermo tuus de celo « « regitibus sedibus venit*; ea noctis hora, qua homines rerum omnium et sui etiam oblitii, cum nulla « vexat eos sollicitudo, ut singulare hoc beneficium « piissimus Dominus hominibus præstat. » De hoc paralytico minime constat, quod intra triginta octo annos, ab ullo hominum unquam postularit, sibi ferri auxilium et quando omne subsidium plane desperatum erat; Christus se de ejus sanitate et corporis salute, sollicitum cupidumque exhibebat.

5. — S. Antonius de Padua dicit, Christum veluti optimum et peritissimum medicum, dum infirmitatem hanc curare vellet, manum suam radici et origini mali totius apponere voluisse: « A causa infirmitatis inceptit, sicut bonus medicus, quia peccatum erat ejus causa, sicut innuitur et ideo primo « voluit voluntatem ejus ordinare, quia cura spiritalis « talis sit, nisi voluntate. Unde Augustinus: « Qui creavit te sine te, non justificat te sine te. » Per salutem corporalem, prius salus infundebar spiritualis, ad hanc autem consequendam, voluntatis ipsius concursus necessarius erat. Unde idem S. Antonius notat, dicens: « Quos post sanabat corpore, « prius sanabat mente, sicut Evangelium nobis « manifestat; quia prius Salvator noster ad curandam voluntatem accessit, cum dixit: *Vis sanus fieri?* deinde corpus restituit sanitati. » Eandem quoque observationem Albertus Magnus hisce verbis habet: « Eliciens sensum et in hoc signat, quod « dissentiens non curatur ab infirmitate spirituali, « quia ponit obicem Spiritui Sancto. » Salmeron interrogationem hanc valde opportunam fuisse dicit; cujus hanc dat rationem, quia tametsi pauci reperiantur infirmi, qui salutem corporalem non desiderant, « pauci tamen sunt, qui ab infirmitate « spirituali liberari velint. »

6. — Albertus Magnus observat, Christum in potestate et libertate paralytici hujus, salutem ejus ponere voluisse, « quasi diceret: In voluntate tua « est, quia tu tibi peccando causa infirmitatis fuisti, « et ideo voluntatem ad me a peccato converte. »

Saulus ex persecutore effectus est Apostolus, vas electionis, tuba Spiritus Sancti, eo quod voluntatem suam Deo subito consignavit, dicens: *Dominus, quid me vis facere?* S. Thomas de Villanova ait: « Paulus « cissimus sunt, qui libera voce respondent volo; « hujusmodi enim voluntatem statim sequitur « salus, nam qui sic efficaciter vult, facit quod in « se est. »

7. — S. Gregorius Nazianzenus ait: « Hoc bonum « solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; » Deus enim per suam divinam gratiam, per sua interiorum inspirationum et vocationum auxilia, nunquam nobis deest, siquidem nos interrogat: *Vis sanus fieri?* Sufficit quod nos ejus voluntati annuamus. Unde David, *Psal. lxxviii*, dicebat: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Ad suum servitium Deus nequaquam invitos, sed spontaneos et voluntarios admittit. Unde Cassianus ait: « Non est beneficium quod « præstat invitis, nec cuique videtur utile, quod « adversa voluntate conceditur. »

8. — S. Thomas de Villanova considerat quod benignissimus Redemptor noster in persona hujus infirmi, omnes peccatores interroget: « *Vis sanus « fieri?* Non petit a te Deus, o peccator, nisi ut velis « sanari; si enim vera et prompta, et efficaci voluntate salutem animæ tuæ volueris, sine dubio « sanaberis; quid facilius, quid levius, quam velle « salutem? Tuum est velle, optare, petere et desiderare; Dei est præstare. O si medicus corporalis « nihil aliud peteret ab ægroto, nisi ut vellet sanari, « quis ad horam ægrotaret? »

9. — Simon de Cassia ait: « Querit Jesus, si « vult sanus fieri, ut ore profiteatur malum. » Fuit igitur hæc interrogatio mystica, siquidem hunc infirmum, per illam ad malum suum confitendum excitare intendebat; quia ad hoc, ut nos a spiritualibus nostris infirmitatibus reconvalescamus, ore confessio fit ad salutem. « Placet tibi sanitas, et subjungit idem, « infirmitas displicet, » quia per contritionem et penitentiam culpa exstinguitur.

10. — S. Cyrillus est in ea opinione, quod per hanc interrogationem, in ipso sanitate desiderium magis magisque provocare intenderit: « Ad vehementius illius rei studium excitantis et ad flagitandum sanitate instigantis. »

11. — S. Thomas Christum id interrogasse dicit: « Ut excitet desiderium infirmi et ostendat « deret patientiam, qui tot annis expectavit eripi « ab ægitudine, et de hoc cognoscatur dignior ad « sanandum. »

Respondit ei languidus: Domine.

12. — Dionysius Carthusianus dicit: « Vocat « Jesum Dominum, velut venerabilem virum, sed « aliud nihil scivit de eo. » Quam primum enim ab eo sanitate mentione fieri audivit, tametsi Redemptor, quoad apparentiam exteriorem contemptibilis

esset, *opprobrium hominum et abjectio plebis*, Domini tamen titulo eumdem condecoravit, quia circa eum, cuius nobis opera necessaria est, nulla, in attributione titulorum, parcitate uti solemus.

13. — Hugo Cardinalis ait: « Nota, quanta devotione captus est ad benignitatem sermonis Christi; statim enim cum honorans Dominum dicit, quem etiam ut ad compassionem moveat, inducit. »

Hominem non habeo.

14. — Jansenius dicit, quod tametsi paralyticus hic, nullam Christi nobilitatem habuerit, nec sciverit, quisnam ipse esset, verumtamen ex hac tam benigna interrogatione, spem aliquam conceperit, nam ex dato ei responso satis liquet, Domino non defuisse voluntatem eum sanandi, sed potius hominem sibi defuisse, qui cum in salutare illas aquas immergendum, in humeros suos levaret: « Huiusmodi responsione verecunde a Domino petens ut ipse, qui validus esset, ac ut videbatur ex compellatione misericors, sese deferret, cum esset tempus in piscinam; non ausus tamen id a Domino explicite et aperte petere, in qua aegri responsione a relictis ipsis et verecunde paupertas, digna misericordia divina patientissima tolerantia. »

15. — Sunt ex interpretibus qui existimant, languidum hunc non adeo fuisse desolatam, qui aliquem vel cognatum, vel amicum, vel hominem alium charitativum praesto habuerit, qui eum nunquam visitans, consolaretur; sed potius hi omnes tunc praecipue illi deerant, quando eorum ope vel maxime indigebat: *Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*; haec enim est omnium subsidiolorum, quae ab hominibus a mundo expectamus, specialis conditio, quod tunc maxime hominem desitunt, quando homo iisdem vel maxime indiget: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*; non vero sic Deus; imo *invidiosus est Dominus is, qui tribulatio sunt corde et humiles spiritu subleabit*. Languidus hic, prout ex ejus responsione satis colligitur, per media humana reconvalliturum se sperabat, siquidem ait: *Hominem non habeo*; sed graviter hallucinabatur, siquidem una ex aliis infirmitatibus spiritualibus, quod Apostolus recenset, I Cor., in, 3, haec est: *Secundum hominem ambulatis*; sed quare? *Nonne cornales estis?* Caro et sanguis illum forsitan huic lecto languidum affixerant, multo minus igitur suam ab inde convalescentiam separare debebat, siquidem caro et sanguis potius salutis nostrae quam maxime obsistunt: *Inimici hominis, domestici ejus; si hominibus placeam, Christi servus non essem*, dicebat Apostolus. Horum namque consortium et malum exemplum nos male et habituate consuetudinis nostrae lecto quam artissime adstrictos tenet.

16. — Quotidiana etenim experientia perspicuum est, quod mundani homines, id est, parentes, amici, alique, quorum quotidiano consortio utimur, nos quidem in culpe et peccati paralytin incidere faciunt, ut tamen abinde denuo resurgamus, nullas nobis suppetias ferunt. Unde Salmeron ait: « Vere enim multi peccatores cum a peccato abstinerent et surgere proponunt, neque seipsos habent, neque hominem, id est, adiutorem vel consiliarium. »

17. — Theophylactus ait: « Hoc est, qui nondum erat factus homo, Filius Dei; » cum enim in trigesimum octavum aequo annum lecto affixus decubuerit, paralyti ipsis primis incipiente, Filius Dei nondum homo factus erat. Unde S. Thomas, in *Joan.*, quoque ait: « Per hoc significatur, quod non erat aliquis homo purus, qui humanum genus salvare posset, quia omnes peccaverunt et egue-runt gratia Dei, quousque veniret Christus, Deus et homo. » Unde S. Job, vi, 13, lamentabatur: *Ego non est auxilium mihi in me*. Et in Ecclesiastico, LI, 10, dicitur: *Respicens eram ad adiutorium hominum, et non erat*; hoc autem tempore, quod haecenus ab illa hora decurrit, quo Christus interrogavit: *Vis sanus fieri?* nullus hominum, quisque ille sit, excusare se potest dicendo: *Hominem non habeo*, quia jam Filius Dei « incarnatus est de Spiritu Sancto, et ex Maria virgine; et homo factus est; crucifixus et etiam pro nobis; » imo in pretorio Pilati, facta est, coram facie totius mundi, sacratissima ipsius humanitatis ad hominem redimendum promptissime solemnem ostentatio, per haec plane mystica verba: *Ecco homo*. Porro piscina illa, in qua sacrificiis destinatae carnes mundabantur, quae quinque porticus habebat, Redemptoris nostri, ut diximus, Passionem figurabat; ac proinde paralyticus ille nullam habebat causam dicendi: *Hominem non habeo*, quin potius dicere debuisse: *Ecco homo*. Et ut Salmeron ait: « Poterat illi dicere Jesus; imo frater, ob hanc causam, quod hominem non habes; ego factus sum homo ad omnium salutem promovendam. » Nazianzenus, *Orat. in sanctum Iovannem*, ita hac de re scribit: « Hic in lecto decumbebas derelictus et neglectus, nec habebas hominem, qui, cum aqua turbata esset, mitteret te in piscinam, hodie invenisti hominem eundem et Deum, seu potius Deum hominem. »

18. — Nullus, qui minus a quavis habituata animae infirmitate reconvalescet, lamentari aut excusare se potest, dicendo: *Hominem non habeo*; siquidem non desunt medici, qui ipsum curare possint, dummodo nos velimus, quia ut in occasione alterius paralytici sanati, *Matth.*, ix, 8, turbae aclamant: *Glorificaverunt Deum, qui dedit potentem valem hominibus*.

Ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.

19. — Hugo Cardinalis ait: « Aliquando enim contingit, quod ad motum alicujus gratiae, homo turbatur in corde et si haberet hominem, id est, rationalem exhortatorem, descenderet in piscinam nam penitentiae, et sanaretur ab infirmitate culpae. » Multae etenim animae perduntur, ex defectu eorum, quibus easdem edocere et instruere incumbit. Unde per Zachariam, x, 2, Deus ita lamentatur: *Ideo adducti sunt quasi grex; affligentur, quia non est eis pastor.*

20. — Theophylactus dicit: « Hanc piscinam penitentiae Angelus turbat, id est, ille magni consilii Angelus, Christus Salvator noster; » quoniam vero modo haec aqua ab eo turbetur, explicat, dum subiungit: « Nam nisi tetigerit cor nostrum divinum verbum et turbationem fecerit in illo, propter memoriam futurorum suppliciorum, nunquam efficaciter erit piscina ista, neque sanitas erit animae dissolutae. »

Dum venio enim ego, alius ante me descendit.

21. — Lyranus languidum hunc id dixisse scribit: « Quia videbat Jesum fortem, et aptum ad portandum eum, et magnum reputaret, si in hoc ei servire vellet; at vero circa hunc benignissimum Deum nostrum, id quod in collecta quadam recitamus, adimpletum fuit, nimirum, quod abundantia pietatis suae et merita supplicum excedit et vota; » quia unico dumtaxat illum verbo sanavit, quod longe plus est eo, quod infirmus ab eo poposuit.

22. — Advertit Cardinalis Toletus, hunc hominem non fuisse totaliter viribus suis destitutum, quod ex eo, quia aliquantulum ambulare et progredi potuit, satis arguitur: « Dum ego venio, alius ante me descendit; ergo sine homine poterat venire et se movere, tamen non poterat illo motu citius alii pervenire, ideo nunquam potuit sanitate consequi. Tale est hominis arbitrium in peccato, cuius languidus hic figuram gerit, non est omnino extinctum aut ita debilitatum, ut nullum honestum sine gratia facere posset, nam morale aliquid bonum operari potest, etiam post peccatum, tamen non tale, ut possit ad salutem et liberationem a peccato pervenire, nisi adjuvante et sanante divina gratia. »

VERSUS 8.

Dixit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.

Dixit ei Jesus: Surge.

1. — Chrysostomus, *Hom. xxxv in Joan.*, languidi hujus fidem valde obstupescit, utpote qui ad haec

verba minime vacillavit: « Cum audiret, quod cum potestate, et quasi imperans eum alloqueretur, dicens: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula, non risit;* » dicere enim poterat, Angelo hanc aquam movente, non nisi unus dumtaxat ex omnibus nobis sanitatem recipit: « Tu homo, solo verbo Angelum superare confidis? audivit, et surrexit, et sanatus medici praecipulum non recusavit. »

2. — Poterat equidem Salvator, utpote magni consilii Angelus, languidum hunc in piscinam deportatum, per adhibitas ejusdem aquas sanare; id tamen nequaquam fecit, quin potius utilissimum nobis in hoc documentum relinquere voluit, nimirum cavendum nobis, ne falcem nostram in alienam messem mittamus, tali autem modo hunc languidum sanare ad Angelum spectabat; praeterquam quod Christus sibi directe et immediate hoc recuperatae salutis beneficium attribui voluerit, non vero usurpare aquarum balneo.

3. — Cajetanus ait: « Imperat non solum homini, sed naturae, quoniam non erat in voluntate aut potestate languidi, surgere, sed dicendo, surge, morbum abstulit. » Etenim in *Psalm. cvi, 20*, dicitur: *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitibus eorum.*

Tolle grabatum tuum et ambula.

4. — Salvator noster, ut omnipotentiam suam in hoc peracto miraculo declaratum, tanto faceret clarius elucescere, non solum languidum hunc sanavit, sed postquam per triginta et octo annos, in paralyti habituatus et immobilis perstitisset, ipsum in pedes erectum ambulare, imo lectum, in quo jacuerat, in humeros sublatum deponere voluit. Albertus Magnus ait: « Portavit lectum illum in signum restituae virtutis. » Beda verba illa hunc sensum habere dicit: « Relinque peccata pristina. » S. Bernardinus vero ita explicat: « Surge anima pigra et nequam, relinque scelera et peccata. » Lyranus per hunc lectum, malam peccandi consuetudinem intelligit: « Per lectum, in quo jacebat languidus, significatur prava consuetudo, per quam jacet homo, quae tollitur per exercitium in opere bono. »

5. — S. Thomas, in *Joan.*, in paucis hisce verbis, tres utilissimas ad veram penitentiam requisitas condiciones intelligit; dicit enim: « Haec tria in justificatione Dominus praecipit: *Primo* quod surgat, recedendo a peccato. *Secundo* tolle grabatum, satisfaciendo de commissis; per grabatum enim, in quo homo requiescit, significatur peccatum; tollit ergo homo grabatum suum, quando fert onus penitentiae, sibi pro peccato impositum. *Tertio*, ut ambulet proficiendo in bono, secundum illud *Psalm. lxxxviii, 8: Ibant de virtute in virtutem.* »

6. — Non sufficiebat, quod surgeret et grabatum

in humeris suis deportaret, verum insuper jussus est ambulare. « *Ambula*, id est, ut assiduis sis, » inquit Hugo Cardinalis, « in onere penitentiae, ait, » semper ad meliora ferventer tende, quia sicut et Bernardus, in virtutis via non procedere, retrocedere est. » S. Thomas de Villanova ait: « Profice in virtutibus, in bonis operibus exerce te ad pietatem. » Beda similiter declarat, sensum hujus verbi, *ambulare*, eundem esse, ac si diceret: « Exerce te in virtutum operibus, necessitatibus fratrum succurre; et univrsis quae agis, vide ne in hoc saeculo mentem figas, sed ad videndam faciem tui festines Redemptoris. » Glossa ait: « Dilige proximum, infirma ejus tolerando, qui te infirmum patienter tulit. »

7. — Dionysius Carthusianus, Christum per hunc languidum, peccatorem aliquem in peccato carnis habitatum, perfugare voluisse dicit: « Intelligitur piger et negligens, mala consuetudine pressus, qui in delectatione viliosa et usu peccati quasi in grabato jacet. » S. Bonaventura de eodem peccato exponit, dicens: « Spiritualiter potest totum id exponi de peccatore, jacente in grabato peccati sive in voluptate carnis, » adducitque illum S. Gregorii, super sequentia *Job*, xxxii, verba: *Incepit quoque dolorem in lectulo et omnia ossa ejus marcescere facit*, expositionem; dicit enim S. hic Doctor: « Lectus sive grabatus voluptas carnis, ut hic et per paralysin significatur peccatum sive voluptas. » Hic igitur lectus removendus et procul exportandus est: *Tolle grabatum tuum, et ambula*, id est, ut S. Bernardus exponit: « Onus iniquitatum tuarum, per veram confessionem de conscientia tua remove, ambula per itinera recta; » insuper necessum est, ut vias illas distortas et obliquas deinceps non amplius ingrediaris, domum hanc vel illum suspectam declines, et recto tramite, priori totaliter contrario progrediaris.

8. — Hugo Cardinalis ait: « Debet surgere, ut stet erectus in gratia, per constantiam ne velit resilire in illecebram. » Idem quoque monitum super eadem verba Carthusianus hisce verbis inculcat: « Surge a ruina peccati, tolle grabatum tuum, id est, delectationem peccati, in qua quiescis, aufer, et proba super te per compunctionem et satisfactionem, quatenus quantum glorificasti te, et in deliciis fuisti tantum imponas tibi lectum et afflictionem. » S. Thomas de Villanova adjungit: « *Tolle grabatum tuum*, id est, quod erat voluptati, sit jam oneri. » Vult igitur Salvator noster, ut lectus illo, qui antea offensae Dei, voluptatis et delectationis sensualis instrumentum erat, nunc deinceps inserviat veluti penitentiae instrumentum; proinde David post adulterium dicebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*.

VERSUS 9.

Et statim sanus factus est homo ille, et sustulit grabatum suum et ambulavit; erat autem sabbatum in die illo.

Et erat sabbatum in die illo.

1. — Data opera, Salvator noster huic languido, admirabilem hanc sanitatem in die sabbati conferre voluit, per hoc namque, ut Lucas Brugensis notat, miraculum istud ad majorem Dei gloriam et ad manifestandum, quod verus Filius Dei esset, per totam Jerosolymam divulgari voluit, quod eundem alio hebdomadis die sanando, non ita facile obtinisset, sic enim hic languidus, lectum humeris suis portans, alio die visus fuisset, a nemine id observatum fuisset; hoc autem die lectum per publicas plateas deferens, quod apud Hebraeos pro ingenti habebatur sacrilegio, ab unoquoque, cujus domum pertransibat, monstrabatur digito: « Nunc autem cum id fecerit die sabbati, quod insolentius Judaeis erat, adeoque nefas iudicabatur ab omnibus, increpitus et interrogatus quid faceret, miraculum omnibus divulgavit. »

2. — Jansenius aliam rationem reddit, dicens: « Quia in hoc facto licebat, cum esset ob gloriam Dei, sicut ob eam licebat sabbato cadere victima; » tametsi enim apud Jeremiam, xvi, 24, dicatur: *Noctem egere onera de domibus vestris in die sabbati, et omne opus non facietis*. Nihilominus S. Thomas hoc nostrum Evangelium interpretans, dicit, quod « Deus intendebat eos inducere, ut in die sabbati requiescerent ab oneribus peccatorum, » de quibus dicitur in *Psal.* xxxvii, *Iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super me*. » Theophylactus pariformiter dicit, quod Christus languidum istum, hoc die curare voluerit, ut nos, qualis hujus diei observantia esse debeat, edoceret, scilicet: « Non coli sabbatum otio corporali, sed malorum abstinentia, nam benefacere alicui in sabbato, lex non prohibet. »

3. — Idem Jansenius aliud quoddam motivum subjungit, dum ait, quod Christus infirmum in die sabbato curare, et ut lectum suum eodem die portare jubere voluerit: « Quia voluit se demonstrare esse Dominum sabbati. »

VERSUS 10.

Dicebant ergo Judaei illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

1. — In principio capituli II Ecclesiastici dicitur: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, prepara animum tuum ad tentationem, deprime cor tuum et sustine*. Ecce quantas contradictiones Judaeismis contra hunc congresserit, quando animae corporisque salutem vi recuperat. Hugo Cardinalis ait: « Homo conversus ad Deum statim

invenit obstaculum; statim insurgunt tentationes daemonum, vel detractiones hominum, vel adulationes. » Lucas Brugensis ita scribit: « Nonne paraphrasis est, et dicebant, cum clamore proferentes communicatricem vocem: sabbatum est, quod oportet unumquemque hominem transigere totum in otio. »

2. — Hugo Cardinalis verba illa, alio quodam sensu explicat dicens: « *Non licet tibi*, etc., id est, non oportet te onerari in operibus penitentiae, Deus jam remisit omnia, non est ita durus, non delectatur in penis nostris: et ita talibus vobis aliquando dissolvuntur manus bellatorum fortium. »

VERSUS 11.

Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula.

1. — « Quasi diceret, » inquit S. Augustinus, « quare non acceperim jussionem, a quo acceperam sanitatem? » Quod si paralysin quam fugavit, suo benefactori obtemperavit, longe rationabilis est, ut erga quem se adeo beneficium exhibuit, obsequiosum se ei et obedientem praestet. Unde Simon de Cassia ait: « Si ei obediit infirmus fugiens, et ego obedire debui. » Dionysius Carthusianus notat, quod languidus dixerit: « *Qui me sanum fecit*, scilicet a paralysi, imo a labe peccati, quoniam Christus, cujus perfecta sunt opera, sanavit in anima, quos sanavit in corpore. » Unde paralyticus, prout hic auctor discurrit, tale fecit argumentum: « Ea potestate, qua me miraculose sanavit, eadem auctoritate mihi praecipit quod facio. » Simili quoque sensu Albertus Magnus scribit: « Sic virtute divina in se ostensa, se Dominum legis esse probavit; ille tantae auctoritatis mihi dixit, *tolle*, etc., huic obediendum fuit. »

2. — Chrysostomus infirmi hujus virtutem commendat, qui tametsi in periculo constitutum videret, ne ob publicatum suum benefactorem a iudaismo male tractaretur: « Neque beneficium siluit, sed clara voce quid acceperit profiteretur et praedicat. » Quo insigni exemplo suo nos salubriter docuit, cavendum nobis esse, ne posteaquam per peccatorum nostrorum remissionem, animae salutem accepimus, tametsi ob id ab impiis hominibus detractiones et subsannationes pati debeamus, quia *Mundus, quod suum est, diligit*, a bene cepta salutis semita discedamus, sed potius in memoria et lingua nostra semper verba illa repetamus: *Ille qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle*, etc.

VERSUS 12.

Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, et ambula?

1. — Albertus Magnus hominum illorum mali-

gnitatem hisce verbis delegit: « Non dicunt, qui te tam longa infirmitate detentum sanavit, quia hanc virtutem in Christo negabant, et occultabant quantum poterant. » Salmeron ait: « Contemptim dicunt: *homo ille*, nec enim digni erant proferre nomen Jesu. » Toletus invidiam quoque pessimorum istorum hominum, cor arrodentem, in his verbis notat dum ait: « Adhuc magis malitiae dilatantur; sciebat sanitatem eum mirabiliter percipisse, non enim negare poterant omnibus, namque cognitus erat infirmus ille. » Unde miraculum istud in controversiam revocare audent, sicuti alias quoad miraculum, quod circa caecum illuminatum paratrata, facere conati sunt, quando videndum illum non eum, qui caecus natus fuerat esse dixerunt, sed alium illi per omnia simillimum; hic enim oculati aderant patri miraculi testes, sed sicut ex uno eodemque flore aranea venenum, apud mel exsugit, unde et flores pro corpore emblematis assumptus fuit, cum hoc subnexo symbolo: *Hoc mel, hinc venenum*, eodem quoque modo, boni ex miraculo occasionem laudandi Deum et Christum verum ejus Filium agnoscendi, acceperunt, invidi vero et maligni virtutem et omnipotentiam divinam in collata huic paralytico tam subita sanitate reluctantes, reticentes, ipsam veluti sabbati sacrilegium transgressorem accusarent. Unde S. Bonaventura ait: « Quod erat potestatis tacuerunt, quod vero videbatur esse transgressionis, in medium die emittit. » Idem quoque Toletus his verbis dicit: « Non dicunt, nemo te sanum fecit, tu haec fingis, sed tacentes admittunt vere sanum esse factum, et pre invidia non interrogant, quis est ille, qui te sanum fecit, sed, *quis est homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum et ambula?* » imo juxta sententiam Carthusiani, ex odio et vindicta contra Christum accensi fuere, prout haec demonstrat interrogatio: « Tanquam dicant, ostende nobis talem, tam malum et legis contemptorem, ut culpam tuam puniamus in eo; » demum vero idem Auctor ostendit, quales illi fuerint, qui celestem hunc protomedicum, qui prodigiosam hanc ei sanitatem contulerat, hominem vulgarem aliis similem esse sibi persuasum habebant, dum ait: « Homines nec erat eo modo, quod dicit Apostolus, *I Cor.* iii, 3: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nomen carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* »

VERSUS 13.

Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset, Jesus enim declinavit a turba, constituta in loco.

Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset.

1. — Cajetanus nescientiae hujus causam esse

dicit, quia miser hic homo, utpote tot annis immobiliter lecto detentus, predicationi aut miraculis Christi nunquam intervenerat, sicut alii. Dionysius Carthusianus ait: « Nomen et famam Christi ignoravi, nec quidquam audivi de eo, et forte oblitus fuerat dispositio Christi in vultu et habitu, ita quod neque per circumlocutionem et signa indicare potuit quisnam esset. » Et quidem Christus pro tunc specialiter, ut ignotus remaneret, affectasse videtur, unde et ab illa se multitudine clam subduxit. Salmeron languidum hunc, Christum ex facie cognovisse existimat: « Nomen ejus ignorabat, quia de facie eum tantum cognoscebat, ut ostenderet, quod non favore personae, sed solo beneficio gratiae collatae perhibebat testimonium; nec curandum est, si Christum secundum carnem nesciamus, dummodo eum secundum spiritum videamus. »

2. — S. Thomas ad mysterium recurrens, paralyticum hunc sanatum, fideles divina gratia mediante sanatos, significare existimat, de quibus Apostolus ad Ephesios, II, 8, dicit: *Gratia salvati sumus, qui quidem nesciunt Christum, quis est, sed effectum tantum ejus cognoscunt. II Cor., v, 6: Quamdiu vivimus in corpore, peregrinamur a Domino. I Joan., III, 2: Sed tunc cognoscemus Christum quis est, quando videbimus eum, sicuti est.* Hugo Cardinalis aliam rationem mysticam pariter et moralem assignat, dum ait: « Non viter enim conversus, parum scit de Jesu, et de his quae sunt suae salutis, sed postmodum per experientiam discit. » Eusebius Gallicanus adeo bene hac de re scribit, ut melius non posset; dicit enim: « Nec mirum, si iste nesciebat, quis esset Jesus; neque enim facile est agnoscere Jesum; nemo novit Filium nisi Pater. » *Mitt., XI, 27.*

Jesus autem declinavit a turba, constituta in loco.

3. — Notat Cajetanus, Evangelistam nos de hac circumstantia specialiter monere voluisse, ut homines viri innocentiam tueretur, ne forte illum benefactori suo ingratum fuisse existimarem: « Quia nec cognoscebat ipsum Jesum, nec Jesus erat amplius ibi praesens, nec adverterat, quia via discesserat propter turbam ibi existentem. »

4. — S. Bonaventura tria motiva considerat, ob quae Salvator noster post patrum praesentem miraculum subito se subduxerit et absconderit: « Ut eo absente, testimonium ferret insuspicabile. Secundo, ut non plus furorem eorum accenderet, solus enim visus ejus, qui habetur invidia, non parvam scintillam immittit invidentibus; item ut non adhuc de seipso quid dicat quod ad laudem pertineret, neque enim etiam tempus erat quod ut benefactori suo gratus applauderet; » unde nobis, ut S. Thomas optime advertit, exemplum relinquere voluit, ut ob vanam gloriae metum bona opera nostra abscondamus: « Ut daret nobis exem-

plum occultandi opera nostra bona et non querendi in eis humanum favorem. » Est et alia hujus rei, cum jam allata S. Bonaventura perfecte consonans ratio, nimirum: « Ut declinatus et fugiendus oculus invidiorum ab omnibus operibus nostris, ne ex hoc eorum invidia crescat. »

5. — Idem Angelicus Doctor in sensu morali dicit: « Ut det intelligere quod Christus non facile invenitur in hominum multitudinem et in turbine curarum temporalium, sed in spirituali secreto. »

6. — Aliam insuper reddit rationem, Hebraeis valde exitiosam, nimirum, « ut insinuet quod Christus debeat declinare a Judaeis ad gentes. »

VERSUS 14.

Postea invenit eum Jesus in templo et dixit ei: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Postea invenit eum Jesus in templo.

1. — S. Bonaventura locum observat, in quo Salvator noster hunc a se sanatum paralyticum invenit, et dicit: « Et in hoc religionis signum; non enim secesserat ad nudinas, nec voluptati et remissioni dedit seipsum, sed in templo convertebatur. » Dionysius Carthusianus virum hunc sanatum, in templum se recipere existimat, ut pro recuperata sanitate Deo gratias redderet: « Ad quod sanatus iste convenit, ut Deo ageret gratias, sic et nos si Jesum invenire et ab eo inveniri optamus, intremus templum materiale ac spirituale, visitando Ecclesiam et redeundo ad propriam mentem, per vite nostrae discussionem. » Similem quoque ponderationem apud S. Thomam, in *Joan.*, reperies, qui ita scribit: « Locus, in quo invenitur Christus, est mirabilis, quia in templo, secundum illud: *Domus in templo sancto suo,* nam et Mater ejus in templo eum invenit. » Et ideo sanatus hic paralyticus, inquit idem S. Doctor, non adivit undinas, nec ad loca mercimonis tractandis, vel recreationibus aut spectaculis exhibendis destinata accessit, sed in templum se recepit, ibidemque Christum agnovit; unde sequens documentum deducit: « Quia si ad Conditoris cognitionem venire volumus, fugienda est turba pravorum affectuum et declinata sunt malorum conventicula, et fugiendum est ad templum cordis nostri, quod Deus invisere et inhabitare dignetur. » S. Augustinus ad causam se reflectit, propter quam paralyticus jam sanatus Christum non cognovit antea, quando in medio illius magnae multitudinis prope piscinam constitutus erat, et solum nunc in templo degentem cognoscit, dicit enim: « Bene Jesum in turba non vidit, in templo postea vidit, difficile est enim in turba Jesum videre. » Notandum quoque est, ubi nam Christus ab oculis hujus hominis evanuerit. *Nesciebat quis*

esset. Et cur id nesciebat? Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. Hugo Cardinalis ait: « Ecce qui in turba, hoc est, in solitudine temporalium perditur, in templo, in oratione et in conscientia propria invenitur; sicut Maria, quae Christum in turba amisit, invenit in templo. » Beda hunc ab omni temporalium negotiorum strepitu solitarii recessum nobis quoque hisce verbis commendat: « Mystice nos instruit ut, si vere Conditoris nostri gratiam cognoscere, ejus amore confirmari, si ad ejus visionem pervenire desideramus, fugiamus sollicitam turbam. »

2. — S. Thomas modum advertit quo Christus et bonus hic paralyticus in templo simul fuere: « Modus quidem, » inquit, « est mirabilis, quia non invenitur, nisi inveniat; unde dicit: *Postea invenit eum Jesus,* nam homo sua virtute Christum invenire non potest, nisi ei se Christus praesentet. Unde *Psalm. cxviii, 176: Require servum tuum. Sap., vi, 14: Praecipuat eos, qui se concipiunt. »*

3. — Hugo Cardinalis aliam ingeniosam non minus quam moralem rationem adducit, dum ait: « Notandum tamen quod non dicitur quod invenit Jesum, sed *Jesum eum invenit;* Jesus enim sollicitior est in requirendo nos et revocando. » Unde *Ps. lxxviii, 21: Inveni David servum meum,* quasi dicit, quia quesivi. Unde *Ezech., xxxiv, 11: Ecce ego ipse requiram oves meas. »*

Et dixit ei: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare.

4. — Beda Christum aeternam veritatem ex hoc loquendi modo, hanc intendisse dicit deducere consequentiam, quod scilicet morbi et infirmitates corporis, suam a peccatis trahant originem: « Quibus verbis aperte monstratur, quia propter peccata languebat, nec nisi dimissis eisdem poterat sanari. » Et hoc forte est mysterium, ob quod Ecclesia tanquam pro fidelium sanorum non spirituali tantum, sed etiam corporali salute, sollicita Mater praecipit, ut infirmi in ipso morbi principio indilate contineantur, suaque peccata deponant, ut tanto facilius ad fugandum infirmitatem adhiberi et jurare possit medicinae remedium. Lucas Bragensis Christum hisce verbis duo dicere voluisse ait: « Duo dat homini intelligenda; unum, quod ipse concisus sit illius vite antea; alterum, quod morbus ipsi inflictus a Deo fuerit ob peccata ipsius. » Et ideo per hanc peccatorum ejus, in toto retro transactis annis commissorum revelationem et manifestationem, se Deum esse illi ostendit. « In quo declaravit se aeternum Dei Filium, scrutatorem cordium et cognitorem occultorum a saeculo, cui poterat dicere hic paralyticus: *Ecce Domine, tu cognovisti omnia mea, novissima et antiqua.* » Chrysostomus, *Hom. xxxvii in Joan.,*

ait: « Illa particula: *Jam noli peccare,* omnia ipsum vidisse indicat, quae ille superiori tempore commisit. »

5. — S. Thomas hoc loco quaerit quare Salvator noster huic paralytico et nonnullis aliis, a se sanitati integre restituit, peccata ipsorum iisdem revocavit in memoriam, cum tamen ipsorum omnibus aliis communiter facere minime conseruit. Ideo scilicet, ut ostendat per hoc infirmitatem aliquibus ex peccatis prioribus evenire. » Quam opinionem Chrysostomus hisce verbis confirmat, dicens: « Res gravis est peccatum et animi perniciosa, ut nonnunquam vi et exsuperantia sua corpora quoque inficiat, sed cum graviter aegrotante anima, nullo dolore afficiamur parvo corporis morbo, summa diligentia medicinam perquiramus, ideo Deus ob animi peccatum, corpus flagellat, ut deterioris partis supplicio, melior ad quaerendum remedium convertatur. »

6. — Hugo Cardinalis ait: « In his verbis notatur duplex signum deitatis Christi. » Primo enim novit occulta cordis et conscientiae hujus paralytici, id est, infirmitatem ipsius et peccatis derivatam fuisse, quod soli Deo proprium est, *Servatus venes et corda.* Alterum vero signum, quod causam paralysis hujus, id est, peccatum abolere poterit; solius enim Dei quoque proprium est id ipsum remittere.

Ne deterius tibi aliquid contingat.

7. — S. Thomas hanc propositionem examinans, eandem duobus modis intelligi posse dicit, secundum duo quae in hoc infirmo processerant. Primo enim punitus fuit infirmitate quadam valde diuturna; secundo ingens consequens est beneficium; ac proinde cautela isthaec seu monitio relationem habere potest, tam ad primum quam secundum. « Ad primum quidem, quia cum quis pro peccato punitur et ex ipsa poena a peccato non retrahitur, justum est ut gravius puniatur, et ideo dicit: *Noli amplius peccare,* quia si peccaveris deterius tibi continget. Ad secundum vero, quia qui post beneficia recepta ad peccata prolabitur, gravioris supplicii reus efficitur, propter ingratitude; secundum illud *II Petr., II, 43: Melius erat eis viam veritatis non agnoscere quam post agnitionem retrorsum converti;* similiter etiam quia postquam homo ad peccatum semel redierit, facilius peccat, secundum illud *Matth., xii, 43: Fient novissima hominis illius pejora prioribus. »*

8. — Theophylactus Christum hanc nobis doctrinam tradere voluisse dicit, quod tametsi per peccatum, quod prima vice committimus, gravi nos supplicio subiciamus; atamen si deinde iterum, in eadem incidamus peccata, iterum graviora patiemur; » redditque rationem: « Qui enim priori supplicio emendatus non est, ad majora

« tormenta ducetur, tanquam insensatus et con-
« temptor. »

9. — Beda advertit quod Salvalor noster non solum huic infirmo, corporis et animæ restituit sanitatem, verum etiam per subijunctam comminationem, preservativam illi subministravit, ne denuo facile relabatur : « Sed qui foris ab infirmitate, ipse etiam intus sanavit a scelere, unde et caute præ-
« monuit, ne amplius peccando, graviorem sibi
« damnationis sententiam contraheret. » Verum inquis forsitan, quodnam poterat gravius supplicium incurrere, illo cui jam hactenus subjectus fuerat, dum triginta et octo annis in continuo paralysis dolore ab omnibus desolatus, duro cuidam lecto affixus immobiliter decubuit? S. Thomas de Villanova, *Serm. in hac fer.*, ait : « Noli recidere, » optimum est gratia stabilire cor, nam si recideris, pejus erit propter tria, propter ingratitude-
« nem, propter consuetudinem, propter diaboli
« dominium, qui adducit septem alios spiritus
« nequiores se. » Advertendum est autem quod hæc comminatio : *Ne deterius quid contingat*, non solum ad penam temporalem relationem dicit, quæ utique gravior futura sit, sed etiam et multo quidem amplius ad penam æternam. Unde Dionysius Carthusianus ait : « Propositum habe cavendi
« omne peccatum, ne major pœna tibi in præ-
« senti, vel æterna damnatio infligatur, quoniam
« recidivantes atque ingrati graviorem penam me-
« rentur. » Ipsum quoque Lyranus his verbis docet : « Incurrere penam æternam, deterius con-
« tingit, quia in recidivante fiunt novissima pejora
« prioribus. »

VERSUS 15.

*Abit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus
« esset, qui fecit eum sanum. »*

1. — Enimvero paralyticus iste ex discursu quem Christus cum ipso habuit, difficulter ipsum benefactorem suum fuisse intelligere potuisset, nisi ipsum, propter peccata sibi a Christo revelata et manifestata, interius Jesum esse agnovisset. Etenim paulo ante de ipso dicebatur : *Nesciebat quis esset;* quoniam igitur modo nunc eum, quis esset agnovit? Dici quidem potest a circumstanti populo id ei indicatum fuisse, qui huic patrulo miraculo præsens affuerat, quique ipsum deinceps tanquam miraculose sanatum suspiciebant, illudque miraculum ad majorem Christi gloriam publicari desiderarent.

2. — Non cognovit eum, quis esset, quamdiu in lecto languidus et paralyticus jacebat, typusque peccatoris erat, sed quando ei peccata fuere dimissa et gratie Dei restitutus, a Christo sibi dicitur : *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare;* quia quamdiu in statu peccati degimus, lumine Dei destituti sumus, ipsumque minime

cognoscimus, quia si eum agnosceremus, utique ipsum non afficeremus tot injuriis et contumeliis, nec ipsum toties mortaliter offenderemus.

3. — Porro falsum est quod nonnulli somniant, videlicet paralyticum hunc, Redemptorem nostrum adeo erga ipsum benignum et beneficium, Judæis ex malignitate quadam manifestasse, ut videlicet ipsos, contra Christum magis et vehementius exasperaret; siquidem causam, cur illum Judæis annuntiarit, textus Evangelicus expressis verbis explicat, dum ait : *Nuntiavit quod Jesus esset, qui fecit eum sanum.* Unde Cajetanus ait : « Hinc apparet quod bono animo rectaque inten-
« tione iste retulit Judæis, ad hoc enim significan-
« dum Evangelista narrat, non retulisse quod
« interrogaverant, scilicet, *quis est ille qui dicit
« tibi : Tolle grabatum tuum et ambula;* sed annun-
« tiasse quod non interrogaverant, beneficium ac-
« ceptum; annuntiarit opus miraculosum affectu
« gratitudinis et ad Dei gloriam. » Ejusdem quoque sententiæ fuit Euthymius, dicens : « Non tan-
« quam iniquus ut proderet, sed tanquam gratus,
« ut benefactorem divulgaret, nam quia crimen se
« incurrere putavit, si tacuisset, beneficium prædi-
« cavit. »

4. — Enimvero invidia et odium quo Sacerdotes, Scribæ, Pharisei, cunctique alii synagoge Principes, Filium Dei prosequerantur, manifestum omnibus erat, ideo enim adversus ipsum conjurabant. *Joan.*, ix, 22 : *Conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* Et ideo tanto magis elucescit quam fuerit boni hujus viri gratitudo, constantia et pietas admirabilis. S. Augustinus, *tr. xvii in Joan.*, ait : « Post-
« quam vidit Jesum et cognovit eum auctorem
« salutis suæ, non fuit piger in evangelizando
« quem viderat. »

5. — Chrysostomus quoque nos ad deligendum in ejus virtutem oculos nostros invitat, dicens : « Intuere hominem in pietate perseverantem, pro-
« fecto magno et fideli animo medicum et accep-
« tum beneficium professus est. » Salmeron quoque animositatem hanc qua se omnes respectus humanos pedibus conculcare probat, hinc verbis commendat : « Maxime autem placet Deo confessio
« intrepida et frons confidenter confitens Deum
« coram Judæis; nam qui *negaverit me*, inquit,
« *coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre
« meo.* »

6. — S. Thomas ori hujus paralytici verba illa ingerit Psalmi lxxv : *Audite et narrabo vobis, quanta fecit Dominus animæ meæ;* quia ex quo Judæi, omnibus viribus ex ore ejus testimonium tale elicere nitentur, quo ipsum observantem præcepti sabbatini transgressorem fuisse fateretur, ipse e contra ad divinam et miraculosam ejus omnipotentiam et beneficentiam testificandam, discursum suum re-

torsit. *Nuntiavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.* Unde colligitur quam verum sit quod

de impiis his Judæis dicitur, *Psal.* x, 2 : *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.*

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XVII, VERS. 1

1. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.

2. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illi Moyses et Elias cum eo loquentes.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse; si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : Ipsum audite.

6. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis :

7. Surgite, et nolite timere.

8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

VERSUS 1.

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem.

1. — Paulus de Palatio super illud verbum, *assumpsit*, dicit : « Assumuntur, et non ipsi eunt, quia tota nature potentia huc pertingere non potest, ut homo ascendat in cælum; nemo ascendit, nisi quem Deus, qui est aquila grandis, expansis alis assumpserit et portaverit in humeris suis. » Sed quare non omnes assumpsit? querit Angelicus Doctor S. Thomas. Numquid omnes Apostoli digni scholæ ipsius discipuli, et visionis istius capaces erant? Respondet S. Joannes Damascenus : « Omnes Christi amore præditi, sed unus pecunia studio flagrans Judas, unus hic duntaxat indignus erat, qui divinitatem suam spectaret. » Et ideo non omnes assumpsit, ne ejus indignitatem manifestaret, sed potius honori et bonæ famæ ipsius prospiceret. « Ad hunc modum proditoris crimen occultidit, dum ex toto Apostolorum numero, tres duntaxat eligit; si solus Judas esset omissus, tanquam invidus, ad majorem fuisset malitiam provocatus. » S. Thomas, in cap. ix *Luc.*, aliam reddit rationem : « Ad designandum, quod non omnes qui vocati sunt, perveniunt; quia multi sunt vocati, pauci vero electi. » Didaeus Stella dicit sapientissimum Magistrum nostrum nequaquam voluisse, ut ejus transfiguratio manifestare-

tur; prout ex ultimis hujus Evangelii verbis colligitur; hoc autem intentum suum difficulter assequi potuisset, si ad gloriosum hoc spectaculum videntium, omnes tanquam spectatores intervenissent. Similiter tres solum elegit, quia, ut Albertus Magnus scribit : « In ore duorum vel trium testium
« stabit omne verbum. »

2. — Porro mysteria et rationes, cur potius hosce tres elegerit quam alios, multæ sunt. Etenim S. Petrum elegit, inquit Lucas Brugenensis, quia cum paulo ante, ex divina revelatione edoctus, sollemne illud de Christo perhibuisset testimonium : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, justum erat, ut ad hanc quoque Christi transfigurationem adhiberetur, ut audiendo æterni Patris vocem, dicens : *Hic est Filius meus dilectus*, etc., insuperque ipsum gloria, Filium Dei decente, quaquaversum adornatum et circumdatum videntem, in hac eadem fide, tanto magis firmiusque solidaretur. Similiter elegit S. Jacobum, quia hic ante omnes Apostolos, pro Christi fide vitam et sanguinem profusus erat; eratque « proinde animadsum spectaculo gloriæ Christi. » Denique S. Joannem huic gloriæ ipsius interesse voluit, quia cum hic cunctos alios Apostolos supercitrus esset, « congruebat testem esse visæ gloriæ Jesu; » maxime cum, ut satis ex ejus Apocalypsi constat, in multis eidem concedendis raptibus et extasibus, multis honorandus esset visionibus celestibus.

3. — Tres hi eidem Apostoli, in horto interfuturi erant agonie Salvatoris nostri, quando fusurus sanguinem erat; et ideo justum erat, ut hujus